



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Vitruvius Itervm Et Frontinus

Vitruvius

Florentiae, 1513

Ad quas coeli regiones quaeq[ue] aedificioru[m] genera spectare
debea[n]t, ut usui & salubritati sint idonea. Ca. VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12979



a. ædificia
ma.
b. triclinia
c. arcuitio
nes
d. locus lecti
et mēsa.
sa.

In his ædificiorum generibus omnes sunt faciendæ earum symmetriarum rationes, quæ sine impeditione loci fieri poterunt, Luminaq; parietum altitudinibus si non obscurabuntur, facillime erunt explicata, Sin autem impediuntur ab angustiis, aut aliis necessitatibus, tunc opus erit, ut ingenio et acumine de symmetriis detractiones, aut adiectiones fiant, uti non dissimiles ueris symmetriis perficiantur uenustates.

Ad quas cæli regiones quæq; ædificiorum genera spectare debeant, ut usui et salubritati sint idonea.

Caput. VII.

Nunc explicabimus quibus proprietatibus genera ædificiorum ad usum et cæli regiones apte debeant spectare, Hiberna triclinia et balnearia occidentem hybernium spectent, Ideo quod uespertino lumine opus est uti, præterea quod etiam sol occidens aduersum habens splendorem, calorem remittens, efficit uespertino tempore regionem tepidiorum, Cubicula et bibliothecæ ad orientem spectare debent, Usus enim matutinum postulat lumen, Item in bibliothecis libri non putrescant, Nā in his

que ad meridiem & occidentem spectant, à tinea &
 humore uitiantur, q̄ uenti humidi aduenientes pro-
 creant eas & alunt, infundentesq; humidus spiritus
 pallore uolumina corrumpunt, Triclinia uerna &
 autumnalia ad orientem, Cumenim prætentata lumi-
 nibus, aduersus solis impetus progrediens ad occi-
 dentem, efficit ea temperata ad id tempus, quo opus
 solitum est uti, Aestiuu ad septentrionem, q̄ ea regio
 (non ut reliquæ, quæ per solsticiu propter calore
 efficiuntur æstiuosa) eo q̄ est auersa à solis cursu, sem-
 per refrigerata, & salubritatem & uoluptatem in
 usu præstat, Non minus pinacotheca, & plumario-
 rum tetrina, pictorumq; officina, uti colores eorum
 in opere, propter constantiam luminis immutata per-
 maneant qualitate.

De priuatorum & communium ædificiorum propriis
 locis, & generibus ad quasq; personarum quali-
 tates conuenientibus. Cap. VIII.

Cum ad regiones cœli ita ea fuerunt dispo-
 sita, tunc etiam animaduertendum est, qui-
 bus rationibus priuatis ædificiis propria
 loca patribus familiarum, & quemadmodum commu-
 nia cum extraneis ædificari debeant, Namq; ex his
 quæ propria sunt, in ea non est potestas omnibus in-
 troeundi, nisi inuitatis, quemadmodum sunt cubicu-
 la, triclinia, balnea, cæteraq; quæ easdē habent usus
 rationes, Communia autem sunt, quibus etiam inuo-
 cati suo iure de populo possunt uenire, idest uestibu-
 la caua ædium, peristylia, quæq; eisdem habere pos-
 sunt usum, igitur his qui communi sunt fortuna, non